

V 2
5294



Ex. 193. (34)

Vg
5294

QW193. Carmen
IN DIEM CON-
CORDIAE ANNIVERSARIUM,
QVO REVERENDVS ET CLARISSIMVS
VIR D. D. MARTINVS LVTHERVVS
sanctæ memoriæ decessit,



Scriptum & dedicatum optimis ac prudentissimis
Viris Reipublicæ Grimmensis Sena-
toribus, à

Iohanne Georgio VVolfio Oschaciensi.



LIPSIÆ

Iohannes Rhamba excudebat.

Anno

M. D. LXIX



CARMEN IN
DIEM CONCORDIÆ
ANNIVERSARIUM, QVO
REVERENDVS ET CLARISSIMVS

Vir D. D. Martinus Lutherus sanctæ
memoriæ decessit.

Fessus eram, & studijs exercita membra diurnis
Soluerat alta quies, velocibus atq; quadrigis
Iam ferme medium nox acta subiuerat orbem,
Ecce mihi ante oculos in somnis talis imago
Obuersabatur gemmis, auroq; nitente
Virgo uehebatur curru pulcherrima, campo
Saxoso, ac rigidis completo sentibus aruo.
Lumina sed lachrimis suffusa rubentia nubes
Tristior, & cœli superas spectabat ad arces
Aurigamq; suum fato cecidisse gementi
Voce querebatur, plenis ipsamq; pericli
Deseruisse locis: & equi rectore carentes
Expatiabantur, raptoq; per auia curru
Ibant precipites, & quo quemq; acer agebat
Impetus, huc discors absq; omni lege ruebat,
Ad pugnam sparsis & proludebat arenis.
Euigilo & somnus sublatis aufugit alis,
Dumq; mihi dulci considero visa quiete
Somnia conspectam subit admonuisse figuram
Fatalis luctus, infelicitisq; diei

Chris

Christicolūm summo quo gens spoliata Propheta
Accepit nullis damnum reparabile seclis.

Namq; dies funestus adest quem semper acerbum,
Semper honoratum Germania, & omnis habebit
Tellus iustitiæ cui sancto purior igni
Sol micat, & sanctas ostendit ab æthere flammæ,
Currus & Automedon sacer Israëlis acerbo
Funere quo cecidit diuinus ab arce Lutherus
Scilicet ætheria demissus, regna scelesti
Vt Papæ erueret Sathanæ fundata sinistris
Auspicijs: sed non æquis cœlestibus: eius
Vtq; repurgatis aboleret dogmata templis.
Huius iacturam mihi nunc Herois, & eius
Funeris antiquum renouat lux atra dolorem,
Somnia & ipsa viri tristem referentia mortem
Ostendunt (neq; enim semper temeraria nobis
Illudunt vanis fallaci nocte figuris)
Post obitum quis iam supremaq; fata Lutheri
Sit status afflictæ cœtus, doctrina salutis
In quo vera sonat, quam rettulit ipse tenebris
Abdita cum densis, & nocte sepulta lateret.

Sub iuga sicut equi nam ducti curua feroces
(Grandia si paruis fas est componere) lora
Ipsis cum summo sensere iacentia tergo,
Aurigæq; iugum solita grauitate regentis
Destitui, nullo tritis inhibente rotarum

Excedunt spatijs, nec quo prius ordine currunt,
Cumq̄ acres illis animi incaluere repugnant,
Detrectantq̄ iugum, ruptumq̄ relinquere lorum
Tentantes, altè factò in contraria saltu
Succutiunt currum, densis pugnamq̄ laceffunt
Ictibus, & putrem quatit ungula cornea campum.
Sic quoq̄ post mortem discordia maxima cœtum
Magne Luthere tuam turbavit quem sibi per te
Christus in his pulso Papa collegerat oris.
Illius & quo te tua fata tulere diei
Nomen in omen ijt. Nam terris alma relictis
Tecum cœlestes adiit Concordia sedes.
Concita moxq̄ nouis arsit Germania bellis.
Externasq̄ suos conspexit ferre per agros
Cesareas Aquilas, & Iberica signa cohortes.
Et tristes gemuit casus, indignaq̄ vincla
Saxonis, aduerso commissaq̄ prœlia Marte.
Sanctaq̄ commotis ne forte Ecclesia rebus
Imperij, aut alijs esset felicior oris
Hæc regio, quibus aut mutatio facta sacratæ
Relligionis erat: sincero pectore sancti
Aut quas exilio Christum mutare professi
Cogebantur, humum patriamq̄ relinquere: surgit
A lecto è stygijs sata nocte paludibus, ipse
Quam Pluton odit, furiaq̄ odere sorores,
Compositamq̄ tuo diuine Luthere labore

Gorgo=

Gorgoneis pacem sacrorum infecta uenenis
Disjicit, & sanctæ ferit impia crimina rixæ.
Discordesq; facit doctores, mens quibus una
Ante erat, & cunctis eadem sententia, corpus
Et ueluti partes in binas diuidit unum.

Hinc ea prima mali labes quæ nunc quoq; ueræ
De fidei Articulis aliquot nostræq; salutis
Ambigit, eiq; illis dubia, & contraria semper
Elicit, & tot iam nequicquam disputat annis,
Siue dolo, seu iam patriæ sic fata tulerunt
Ingratæ, Ambrosia quæ iam saturata salubri
Nauseat, & sanctos fastidit Nectaris haustus.

At te sancte senex summi diuina parentis
Maiestas quæ te nobis propiore Prophetam
Fine senescentis mundi, uitæq; beatæ
Doctorem ex celso demiserat æthere, rursus
Gaudia maturo tulit ad cœlestia fato,
Dum tranquilla quies dum nullo mota tumultu
Salua uigeret adhuc Respublica, nulla nec hostis
Arma, nec externum trepidaret territa Martem.
Lætâq; adhuc ageret dum tutis ocia rebus
Eloquijs renouata tuis Ecclesia, cumq;
Doctorum nondum studia in contraria uulgus
Arbitrij pugnans de libertate scidisset,
Inq; bipartitum traxisset opinio cœtum.

A 3

Scilicet

Scilicet alme senex ne te mutatio turbæ
Tanta sacræ uiuo fieret, molimine quæ uix
Te cæsis tanto fuerat victore recepta
Hostibus, in tutum pulsisque redacta tyrannis.
Atque utinam illa tibi vita Pater alme manente
Quæstio mota foret (quamuis hæc te quoque uiuo
Res agitata fuit: tamen haud discrimine tanto,
Et sedata statim) iam dudum forsitan esset
Pax, & sancta quies te iudice reddita nobis,
Totaque res unum per te transacta sileret
Dissidio cessante graui. Nam dum tibi vitam
Fata Deusque dabant, subito composita cadebat
Lis omnis causas te discernente sacratas,
Visaque quæ fuerant dubia, aut abstrusa patebant
Ore soluta tuo patuit ceu Gordius olim
Regis Alexandri dissectus acinace nodus.

Ast aliter visum summo qui celsa parenti
Sidera & Oceanum mundumque gubernat & ipse
Sancte parens grauium sat ad iras ante laborum,
Ingenijque tibi vires & corporis omnes
Absumptæ in Papam fuerant, immaniaque illa
Monstra scelestorum Monachum, qui sanguine plebis
Viuebant, & Bachanalia semper Asoti
Votorum, & specie sub religionis agebant,
Romanæque minas, & inania fulmina sedis,
Irati que grauem proscriptus Cæsaris iram

Pertu-

Pertuleras latitans secretis exul in agris.
Multa refutaras errorum millia, multos
Seditiosorum sedaras voce furores
Sancti Euangelij, verboq; potente coërcens.
Tantæ molis erat diuinam condere gentem
Quæ colat, & vero te Christe celebret honore.

Fortunate senex hæc nunc discrimina rerum
Te meminisse iuuat, cæli felicibus oris
Dum tibi compensant toleratos iusta labores
Præmia, dumq; pari sublatum Christus honore
Cæli incrementum te non mortalibus addit
Manibus Heroum, quos prima ab origine mundi
Doctores habuit sanctosq; Ecclesia vates.

At tua laus magnum non interitura per orbem
Fertur, & exuuias cohibentem maior arenam
Effugit, & magno post funera restat honore,
Dumq; Euangelium Christusq; docebitur una
Viuat, & illa tui laus maxima nominis, Albis
Cæculus æquoreas dum delabetur in vndas.

Fortunate senex ergo doctrina manebit
Ore tuo è tenebris, & millibus eruta mendis
Æternum, quamuis uersetur plurimus error
Vndiq; & aduersæ uis immanissima turbæ.

Tuq; beate parens colis omnibus aurea seclis
Sidera, & æternum præsentia numina Christi
Conspicis, atq; patrum veterum longo ordine cœtum,
Cumq;

79 5294 A.

Cumq; illis sanctum sermonem, sanctaq; verba
Committens falsis diuinis tempora dictis.

Salve sancte senex tibi nostra Thalia quotannis
Debita funereis persoluet iusta querelis,
Solenniꝰ tuas celebrabit carmine laudes.

At tu parue cinis paruo tumulate sepulchro
Albidos ad ripas requiescas molliter, ima
Terra tibi flores, inq; ipso lilia busto
Fundat, & Assyrium uernans aspiret Amomum.

Sic magni exuuiæ tumuloꝰ ualete Lutheri
Suppositi cineres, donec mundo ultima finem
Impositura dies oriatur, uosq; sepulchro
Excitos uiuo coniungat ut ante Luthero.

GLORIA CHRISTO.

M.C.




Part
111
mis
2
T
of
H
S
C
M
O
H
B
O
N
C
O
4
3
3

ULB Halle 3
004 974 905


f







B.I.G.


Farbkarte #13

Dr. 193: (34)

Dr. 193

Vg
5294

Carmen
IN DIEM CON-
CORDIAE ANNIVERSARIUM,
QVO REVERENDVS ET CLARISSIMVS
VIR D. D. MARTINVS LVTHERVVS
sanctæ memoriæ decessit,



*Scriptum & dedicatum optimis ac prudentissimis
Viris Reipublicæ Grimmensis Sena-
toribus, à*

Iohanne Georgio VVolfio Oschaciensi.



LIPSIÆ
Iohannes Rhamba excudebat.
Anno
M. D. LXIX

